



9  
10  
11  
12  
13  
14



12  
FEBREM  
INFLAMMATORIAM  
MESENTERIO-  
INTESTINALEM

SUB AUSPICIIS DIVINIS  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
CONSENSU

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
LEGITIME CONSEQUENDI

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT  
JOSEPHUS ALBANUS GLYCKHERR

BADO-BADENSIS EX LIECHTENTHAL

AD D. 26. MAJI A. MDCCLVII.

H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI  
TYPIS JOHANNIS HENRICI HEITZII UNIV. TYP.

FERREUM  
 INFLAMMATOIAM  
 MISERENTIO  
 INTESTINALEM  
 SUB AUSPICIS DIVINIS  
 GRATIA FACULTATIS MEDICAE  
 CONSENSU  
 PRO LICENTIA  
 SUMMUS IN MEDICINA HONORIS  
 ET PRINCIPALIS DOCTORUM  
 LEGITIME CONSEQUENDI  
 SOLI ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT  
 JOSEPHUS ALBANUS GLYCKHERR  
 BADO-BADENSIS EX LICENTIA  
 AD 25 NOV. 4. MDCCCLXII  
 M. D. C. C. L. X. II.  
 KAROLUS TORSTEN  
 THE JOHANNIS HENRICH HEITZE CAR. TORSTEN



SERENISSIMO  
PRINCIPI DOMINO  
DOMINO  
LUDOVICO GEORGIO  
SIMPERTO  
MARCHIONI BADENSI  
ET HOCHBERGENSI  
LANDGRAVIO SAUSENBERGENSI  
COMITI SPONHEIMENSI  
ET EBERSTEINENSI  
DOMINO IN ROETTLEN  
BADENWEILER LAHR  
MAHLBERG  
PROVINCIA ORTENAVIENSI  
ET KEHL

EQUITI AUREI VELLERIS  
ET SANCTI HUBERTI  
S. C. M. NEC NON CIRCULI SUEVICI  
SUPREMO REI TORMENTARIÆ  
PRÆFECTO  
AC LEGIONIS CÆSARÆ PEDESTRIS  
CHILIARCHÆ  
PATRI PATRIÆ  
MUNIFICENTISSIMO  
CLEMENTISSIMO

SERENISSIME  
P R I N C E P S  
P A T E R P A T R I Æ  
MUNIFICENTISSIME  
CLEMENTISSIME



EVIDENSE opusculum, has sci-  
licet studiorum meorum pri-  
mitias, ad devotissimam men-  
tem meam significandam Se-  
renissimo Nomini Tuo con-  
secro atque ad pedes Tuos humillime depo-

):( 3 no.

no. Audaciam quidem committo, sed animum meum, quem diu verecundus compressum tenuit timor, audacem fecerunt, & summa obsequii lex, subditis erga superiores insita ac divinitus constituta, qua obstricti tenentur, ut quavis occasione, devotionis humillimæ testimonia edant, atque vota, quæ pro salute Summi Patriæ Patris conceperunt, solenni ratione confirment, & excelsa Tua, qua litteris bonis navantes excipis, Clementia, nec non grandia illa atque innumera gratiæ documenta, quibus parentem meum munificentissime cumulasti. Accipias ergo has rudes meas musas tanquam pietatis meæ & obsequii pignus, serena fronte explicatoque

.on

ε ):(

catoque



catoque vultu, ea qua par est humilitate,  
rogo. Non quidem nescio Tanto Principi &  
Patri Patriæ Clementissimo, optima certe  
consecranda esse, & vere alia offerrem, si  
meliora prostant. Sunt tamen primitiæ,  
deditissimi animi mei documenta. Horum  
autem omnium loco preces meæ ardentissimæ  
erunt. Supremus rerum arbiter Te Patrem  
Patriæ, publicæ salutis Columen, civium  
Tuorum Præsidium, litterarum ac litterato-  
rum Statorem & Promotorem Munificentif-  
simum ad feros usque annos cum Serenissima  
Tua Stirpe salvum atque incolumem præstet,  
consiliis omnibus, quæ semper pro salute  
publica promovenda suscipis, prosperos suc-  
cessus

cessus tribuat, & regimen Tuum perpetuo  
flore & felicitate beet. Hæc est summa vo-  
torum, quæ devotissima mente tenet

SERENISSIME  
P R I N C E P S  
P A T E R P A T R I Æ  
MUNIFICENTISSIME  
CLEMENTISSIME  
SERENISSIMI NOMINIS TUI

*Dab. Argent.*  
*Maji A. 1757.*

Subjeçtissimus devotissimusque  
Cultor  
JOSEPHUS ALBANUS GLYCKHERR.



§. I.



EST ea corporis humani conditio, ut maxima ex parte sit vasorum compages, per quam fluidum pellitur. Magna horum canalium copia humanæ cognitionis transit limites, & angusta diameter, quam in plurimis machinæ nostræ punctis habent, percipi nequit. Fluidum permeans est ruber ille liquor sanguis, & quæ a sanguine secedunt, serum, lympa. Sunt vasa, arteriæ scilicet, per quæ liquidum a corde ad partes ruit; sunt alia, venæ nimirum, quibus humidum ad partes latum cor versus

A

reve-

revehitur. In varios ordines dividuntur hæ fistulæ, ratione fluidi, quod in statu naturali continent: sic sanguinæ vocantur; per quas sanguis, serosæ; per quas serum, lymphaticæ; per quas lymphæ fertur. Serosæ sanguinearum ramos constituunt, lymphaticæ & sanguinearum & serosarum rami esse possunt: lubenter alia vasa lymphaticis adhuc subtiliora admitto. Subinde fluido per canalem trajiciendo denegatur transitus; frequenter etiam capillares arteriæ obturantur (a), & postea, vitali virtute

---

(a) Iste vasis cujusdam status, quo fluido per illud trajiciendo denegatur transitus, obstructio salutatur, & hunc statum etiam in corpore nostro obtinere posse, si inter molem movendam & virtutem motricem æquilibrium datur, crebra experientia docemur. Crebrius autem arteriæ quam venæ obstruuntur; arteriæ enim conicam figuram habent, & fines versus angustantur, in venis vero naturaliter semper fluidum ex angustiore spatio in vas capacius ruit. Nonnunquam tamen liquidum in venis hære, si vel spasimis constringuntur, vel aliis rebus comprimuntur, varices & hæmorrhoides cœcæ, nec non œdema, ex compressa majori vena sanguinea ortum probant. Nunquam autem in venis fluidi motus impediri

te excitata, inflammatio (b) in parte obstructa generatur. Mox externa corporis loca infestat inflammatio; mox ista in interioribus suam sedem figit. Inflammantur nonnunquam partes, vel actionibus vitalibus destinatae, vel saltem tales, quibus vitales actiones laeduntur; nonnunquam partes minus nobiles inflammatio corripit. Interdum haeret sanguis ruber; interdum aliud quoddam fluidum sanguine subtili-

A 2 us

pediri potest, quo minus arteriosum liquidum simul novam resistantiam acquirat. Etiam humidum, si ex qualitate sua vitiosa obstructionem inferre potest, semper potius in finibus arteriarum, ob miram angustiam majoremque cum parietibus cohaesionem, quam in venis illam excitabit.

(b) Fluidi arteriosi in fistulis capillaribus stagnantis attritus naturali fortior, quodcumque jam sit fluidum stagnans, & cujuscumque sint ordinis vascula, in quibus stagnatio contingit, generatim inflammatio salutatur. Sed haec, pro varietate liquidi haerentis, quasdam differentias subit. Si est sanguis ruber, inflammatio vera vocatur, si vero est aliud fluidum, inflammationis spuriae nomen habet. Inflammatio vera etiam definiri potest per eum partis cujusdam affectum, ubi calor praeter naturam excedit, simulque tumor, dolor & rubor conjunctus est.

(c) Fe-

us subsistit. Aliquoties pars quædam inflammata sine febre est (c); quandoque etiam absque inflammatione febris. Sæpe febris inflammationem parit, sæpius autem inflammatione febris accenditur. Febris cum inflammatione partis cujusdam ita conjuncta, ut a se invicem dependeant, febris inflammatoria nuncupatur, sive jam inflammatio febrim, sive hæc illam exciterit, & rursus, pro diversitate partium affectarum aliarumque circumstantiarum diversa nanciscitur nomina.

§. II.

(c) Febrem definitio per motum cordis & arteriarum frequentiore, præter causam externam aut naturalem. Omni inflammationi febrem esse junctam autumant nonnulli. vid. PLATNER *Institution. Chirurg. Rational. Cap. de Inflammat.* §. 49. Contrarium asserunt alii, & horum sententiæ, variis ex causis, & ego subscribo. Inflammatio autem febrem producere valens, semper, vel viscera nobiliora, vel partes infestare debet sensiliores, vel, si ignobiliores corripit, debet esse magna. Etiam nullus veterum, quanquam usus vocabuli inflammationis minime determinatus & constans apud principes medicæ doctrinæ antistites reperitur, febrem inter necessaria inflammationis requisita refert. vid. HAMBURGERT *Dissertatio Inflammationum Pathologiam sistens. Jenæ 1745.*

§. II.

Omnes fere corporis humani partes arterias minimas habent. Omnes ergo fere obstrui possunt. Sic etiam obstructio in ossē durissimo, non vero vera inflammatio. Inflammationis sanguineæ sedes esse videtur in omni corporis animati parte molli (d), arterias sanguine & lymphæ plenas habente, si in has, non nisi tenuem & pellucidum humorem vehere solitas, rubicundus sanguis transfunditur. Itaque etiam intestina tenuia & mesenterium inflammatione occupari (e), & ex hac produci pot-

A 3 est

(d) Omnis inflammatio vera essentialiter tumore est stipata. Nullum igitur vas vere inflammari potest, nisi quatenus est flexile, & quatenus inter partes molles ad cedendum aptas hæret. Adæquatum itaque inflammationis subjectum sunt omnes corporis animati partes molles, quatenus vasa habent minima, quæ ad admissionem globulorum sanguineorum præternaturaliter usque dilatari possunt.

(e) Intestina constituunt longum illum canalem in abdominis cavo multos circuitus formantem & duas circiter tertias istius cavitatis occupantem. Initium suum habent

est febris. Et Febris Inflammatoria Mesenterio-intestinalis, jejuni præcipue & ilei, & portionis

habent in orificio inferiore ventriculi, & ano finiuntur. Adhærent productionibus peritonæi, eis præcipue, quæ mesenterium & mesocolon vocantur. Totus intestinorum tractus in intestina tenuia & crassa dividitur. Tria tenuia numerantur, duodenum, jejunum & ileon; in crassis etiam subdivisio in cæcum, colon & rectum locum habet. Variis tunicis est compositus tractus hic intestinalis. Prima, quæ extima est, & vulgo communis salutatur, a mesenterio provenit. Secunda, musculosæ structuræ est, ex duobus planis fibrarum conflata, externo nimirum & interno, quorum externum, interno tenuius, fibris longitudinalibus instructum est; interni fibræ transversalibus ductibus circa cylindrum intestinale ducuntur. Tertia, nervea dicta, planum particulare habet, ex fibris obliquis, tenuissimis licet, fortibus tamen tendinosæ quasi aut ligamentosæ naturæ. In hoc plano vasorum arteriosorum & venosorum retia cum magno & filamentorum nerveorum & glandulosorum corpusculorum numero disperguntur. Quarta seu intima villosa salutatur. Tunica, nervea scilicet & villosa, majus spatium habere videntur, quam reliquæ, & in cavo intestinali parvas duplicaturas formant, quæ valvulæ conniventes dicuntur.

Mesenterium autem in genere vocatur membrana illa, cui tractus intestinorum adhæret, quæque liberiores illorum motum impedit. Peritonæi continuatio



portionis mesenterii, cui hæc duo intesti-  
na adhærent, est morbus ille, quem Spe-  
ciminis

tinuatio est, cujus duabus laminis, duplicaturam formantibus, & cellulosa, ut plurimum multa adipe referta, inter se junctis componitur. In ultima duodeni curvatura inchoat, & oblique a latere sinistro dextrum versus secundum vertebrarum lumbarium longitudinem descendit. In hoc tractu lamina seu portio membranacea peritonæi ad dextram lævamque separatur, & duabus laminis particularibus duplicatura componitur, quæ Mesenterium vocatur.

Intestinum duodenum, quod in pyloro incipit, partim in regione epigastrica, maxima tamen ex parte in sinistro cavitatis abdominalis est situm. Regionem umbilicalem maxima mesenterii ejusque vavorum portio & jejuni circumvolutiones occupant.

Ileum in regionibus, hypogastrica nimirum, iliaca dextra & sinistra hæret. Mesenterium inter duas suas membranas, præter corpus cellulosum, & adiposum multos nervos, & vasa sanguifera, glandulas & chyliifera vasa continet.

Duodenum communiter arteriam quandam propriam, duodenalem scilicet, habet. Etiam aliis est instructum, a mesenterica superiore & splenica, ortum habentibus. Venæ duodeni ramos venæ portæ constituunt. Jejuni arteriæ præcipue a mesenterica superiore veniunt, venæ autem ut plurimum originem a vena mesaraica magna habent. Sunt etiam, quæ a splenica & hæmorrhoidali veniunt. Ilei vasa fere ab iis, quibus jejuni vasa, ducuntur. Quod ad nervos

ciminis Inauguralis loco tibi sisto, Lector Benevole: morbus diris symptomatibus ut plurimum stipatus, quibus brevi tempore trahi possunt ægrotantes; cumque morbum curare nihil aliud sit, quam effectum præternaturalem tollere, effectus autem removeri nequeat, nisi cognoscatur, qualis sit ille, & quibus causis sit generatus; hinc primum ea signa disquiram, quibus ab aliis morbis potest dignosci, & his propositis subjungam causas, huic morbo præcipue ansam suppeditantes, addendo ea, quæ vel spem vel periculum ostendunt.

§. III.

---

nervos attinet, duodenum a plexu stomachico & hepatico, jejunum & ileon autem præcipue a plexu mesenterico superiore habent. Vid. WINSLOW. *Exposition Anatomique* T. III. §§. 184. 199. 241. 415. & LIEUTAUD *Essais Anatomiques* pag. 442. 489. 491. § 12.

§. III.

Varia consideranda veniunt signa; ad-  
est enim febris, febrī juncta est inflamma-  
tio, & hæc mesenterium, partem scilicet  
corporis internam, tenet. Facilis est febris  
cognitio, quam horripilatio, pulsus velox,  
calor præternaturalis manifestant, videatur  
BOERHAAV. *Aphor. Cap. de Febr. in genere.*  
Ast difficilioris indaginis sunt inflammati-  
onis simul internæ indicia. Sunt signa omni-  
bus inflammationibus communia; dantur  
notæ externis partibus præcipue solennes;  
sunt aliæ, quas viscera inflammata sibi vindicant,  
& in his rursus quædam differen-  
tia intercedit. In omni inflammatione ve-  
ra, vasa tument, & tactui magis renitun-  
tur (f), albido colore alias conspicua, nunc  
B rubra

---

(f) In quovis tumore vasa magis sunt dilatata, quam  
in statu naturali, & partis affectæ aucta magnitudo  
deprehenditur. Ut itaque tumor oriri possit, necesse  
est, ut aut major fiat vis vasa distendens, eadem  
manente vi vasorum contractili, aut decrescat vis  
vasa

rubra apparent , & rubro tincta magis  
quam in statu naturali rubent (g). Senti-  
tur

vasa contrahens, & immutata persistat virtus dila-  
tans, aut utrumque simul contingat; in statu natu-  
rali enim vis vasa coarctans æqualis est robori illa  
dilatanti. Nullus ergo tunc tumor. Atqui in quavis  
inflammatione est vasorum obstructio, id est flu-  
idum hæret, & hoc fluidum intra vascula minima  
in magis pressum, quam in statu naturali, mutatur.  
Sed omne fluidum pressum tanto impetu agit qua-  
quaversus, quanto magis est pressum. *p. princ. Physic.* unde etiam in vasorum obstructorum parietes majori im-  
petu agitur. Necessè itaque est, ut vasa fluido prementi  
cedant, & magnitudinem præternaturaliter auctam,  
i. e. tumorem acquirant. Quo major ergo est ob-  
structionis gradus, & quo plures simul tubuli sunt  
obstructi, eo major tumor oriri debet.

(g) Variis coloribus tincti sunt machinæ animalis ca-  
nales, & colorem suum semper a colore fluidi in  
istis contenti habent. Alio modo colorata vasa, si ap-  
parent, vel alius humor alio colore instructus, vel  
idem humor mutata autem facie gaudens, in illis  
hæreere debet. Si ergo fistulæ, in statu naturali albido  
colore conspicuæ, rubræ jam observantur, oportet  
ut sanguis in illas penetraverit; sanguis enim est  
unicum corporis nostri fluidum rubicundum, &  
omnium partium solidarum etiam rubor naturalis a  
sanguine est. Præterea nullum fluidum corporis no-  
stri, quam maxime etiam alteratum, rubrum colorem,  
sanguini similem acquirit. Atqui in quavis inflam-  
matione vera sanguis in arteriolas lymphaticas transit,  
&

tur ardens, punctorius, frequenter pulsans  
etiam dolor (b), & calorem præternatura-

B 2                      lem

& iste sanguis, qui in arteriis sanguineis obstructis manet, eo fluido est orbatus, quod ruborem minus saturatum reddidit. Planum hinc fit, quod in omni inflammatione vera arteriæ lymphaticæ & ferrosæ rubere & sanguineæ saturatori rubro colore tinctæ esse debeant.

(b) Dolor vocatur ingrata perceptio in mente orta a præternaturali nervorum tensione originem habens. Quando igitur ingrata perceptio fieri debet, oportet ut nervi præter naturam distendantur; sed in quavis inflammatione vera adest obstructio vasorum minimorum, ex obstructione fit tumor, partes vero tumentes absque præternaturali nervorum tensione i. e. absque dolore expandi nequeunt. Non autem ex quovis dolore ad inflammationem concludi potest. In omnibus quidem tumoribus dolor adest, sed a sola tensione lenta dependet; unde, vel gravativus, vel tensivus tantum, percipitur. Inflammatorius autem sic debet esse comparatus, ut attritum fortiolem indicet; hinc ad speciem doloris simul attendendum est. In parte inflammata magis resolvuntur salia, magis liberantur particule igneæ. Hæc salia & hæ particule caloris aggrediuntur vasorum obstructorum parietes, & speciem doloris determinant. Quatenus hic est a salibus in minima puncta agentibus, eatenus fit punctorius, quatenus vero ab igneis, ardens dicitur. Nonnunquam etiam, si inflammata partis tumor tantus evadit, ut arteriosa vasa

lem in parte affecta percipit æger (i). Sed  
 quandoque nullus visu cognoscitur rubor,  
 nullus

vasa, sensibilibus pulsantia, paulatim comprimantur, majori impetu in vasa compressa agitur, & hæc fortiori nisu dilatantur. Hac dilatatione fibræ, tumori contiguæ, magis tenduntur; hinc pulsans fit dolor, i. e. talis, qui omni momento, quo arteriæ in diastole sunt, magis exacerbatur; eo tempore enim major sanguinis vis ad partem inflammata apprimitur, quo nervi magis intenduntur.

(i) Motus particularum sui generis, i. e. ignearum tantus, ut percipi posse credatur, calor vocatur. Causam immediatam motus harum particularum liberatio a contractu cum aliis, quibus cohærent, constituit, & hujus causa proxima ab attritu dependet. Atqui calet corpus humanum in statu naturali. Necessè itaque est, ut particulæ igneæ liberentur, & motus liberatarum tantus fiat, ut percipi possit. Quapropter debet adesse causa, qua particulæ igneæ in corpore contentæ liberantur. Sed hæc causa sola non sufficit. Alia quædam requiritur, qua impeditur, quo minus igneæ liberatæ, eo statim momento, quo liberatæ sunt, in contigua transeant corpora; ignis enim transit, Primo, ex corpore quocunque in quodcumque aliud minus calidum, majori tamen quantitate & citius in specificè gravius quam levius. Secundo, transit ignis in aliud contiguum corpus, tanto majori copia & tanto breviori tempore, quo istud aliud minus est calidum. Tertio, corpora, quo sunt specificè graviora, per tanto longius tempus

nullus videtur tumor, tactu tamen renitentiam & tumorem observat medicus, & dolorem punctorium atque ardentem persentificat æger. Sæpe, vel ob paucos nervos, quibus pars affecta gaudet, vel ob delirium conjunctum, medens tantum nil nisi tumorem

B 3 anim-

---

pus ignem retinere possunt, reliquis positis iisdem, *per princ. Physic.* Ex his legibus sequentia, tanquam confectaria, fluunt.

Imo Si transitus particularum ignearum liberatarum tantus est, quanta earundem de novo fuit liberatio, calor manet idem. 1<sup>do</sup> Calor decrescit, i. e. frigus oritur, si plures particulæ secedunt, quam liberantur. 2<sup>do</sup> Increscit calor, si transitus ignearum liberatarum minor est earundem de novo liberatione. Atqui in quavis inflammatione vera imo non solum plures particulæ igneæ, ob fortiorem attritum partium, tam inter se, quam cum parietibus vasorum, liberantur, 2<sup>do</sup> pauciores quoque in corpora contigua transeunt; fluidum enim hæret 1<sup>mo</sup>) specificè gravius; corpora autem, quo sunt specificè graviora, eo majorem ignis gradum acquirere & per tanto longius tempus eundem retinere possunt. 2<sup>do</sup>) fluidum, sero maxima ex parte, orbatum, quo igneæ liberatæ temperari nequeunt. Unde necessario calor in parte inflammata debet existere naturali major.

(k) Omnem

animadvertit. Aliquoties nullum commune inflammationis signum adest. In duobus prioribus casibus certum, de inflammatione ferri potest iudicium. In posterioribus autem dubius hærens medicus ad alios inflammationis effectus confugit, febrim scilicet acutam, eamque, vel continuam, vel continentem & pulsus duritiem (k),  
 indivi-

---

(k) Omnem partis internæ inflammationem veram, si peripneumoniam exceperis, febris acuta, pulsu duro stipata, comitatur. Non autem reciproce concludi potest, ubi est febris acuta, vel sola, vel pulsu duro comitata, ibi est inflammatio interna vera; utrumque enim a sola irritatione nervosarum partium esse potest. Demonstrandum ergo est, Primo, unde pulsus durus? Secundo, cur in inflammationibus internis præcipue pulsus durities? Tertio, cur in peripneumonia hæc pulsus qualitas deest? Quarto, cur in inflammatione interna vera febris & quidem acuta? Quod ad quartum attinet, illud infra ostendam, ubi monstrabo, quomodo ex inflammatione tanquam causa febris accendi potest. Tria priora ergo nunc exploranda supersunt. In omni parte inflammata majori copia quam in statu naturali adsunt particulæ igneæ, subtiliora & magis concentrata sunt salia; hinc magis activa. Majori ergo vi agunt in fibras nerveas, & hanc majorem  
 actio-



individuos alias omnis inflammationis internæ comites (1), sola peripneumonia ex-  
cepta

actionem major contractio arteriarum sequitur. In loco itaque affecto majori gradu secundum longitudinem tenduntur arteriæ, & ex hac tensione fortiori contiguæ arteriæ præter naturam longitudinaliter contrahuntur. Si ergo causa prima vehementer irritans magna fuit, & eadem vehementia, vel etiam majori adhuc gradu continuat, paulatim omnes canales ab aorta suam originem habentes, magis quam in statu naturali secundum longitudinem trahuntur, unde magis rigidi fiunt, & tactui duri videntur.

- (1) Et externæ & internæ corporis partes inflammatione infestantur. In utroque casu saliva liberata & præternaturaliter collecta vehementius in fibras molles nervis præditas agunt, & sic vehementiorem contractionem vasis conciliant. Raro tamen in externis partibus inflammatis, nisi insigniter magna sit inflammatio, pulsus durus evadit. In internis itaque partibus alia causa adesse debet, qua citatori motu arteriæ contrahuntur. Sed internæ partes, viscera nimirum plures nervos habent quam externæ; hinc quoque sensiliores sunt. Levem irritationem affluxus spirituum & fibrarum musculosarum fortior excipit. Planum hinc fit, quod in inflammationibus internis pulsus durus evadere debeat. Sunt aliæ adhuc causæ minoris momenti pulsus durum facientes, quas tamen hic explicandas omitto.

(m) In

cepta (*m*); sed etiam ex febre sola, vel ex pulsu duro solo, vel cum febre juncto, ad inflammationem internam concludi nequit. Nullum ergo veræ inflammationis internæ

(*m*) In inflammatione pulsus fit durus, dum arteriæ præternaturaliter irritantur, & hanc præternaturalem irritationem contractio vasorum naturali major excipit. Sed pulsus tantum in aortæ ramis sentitur. Quæcunque ergo corporis humani pars præter naturam irritatur, & ex hac irritatione aortæ rami non simul irritantur, ibi pulsus durus percipi nequit. Atqui arteria pulmonalis non est ramus aortæ; ergo maxima arteriæ pulmonalis inflammatio & irritatio irritare non valet arteriam magnam. Unde ex hoc principio in peripneumonia pulsus non durus evadit. Secundo, major vel minor arteriarum resistentia, quæ digitis tangentis sese offert, etiam a majori vel minori quantitate fluidi, quo repleta sunt, dependet. Magis repleta vasa plus, minori copia autem referta minus resistunt. Quo minor ergo quantitas sanguinis in ramis aortæ hæret, eo molliores tactui apparere debent. In peripneumonia autem adest obstructio in arteriis pulmonibus, & eo minor quantitas sanguinis e dextro cordis ventriculo in sinistrum, ex quo nimirum sanguis in aortam ejusque ramos cogitur, transire potest, quo plures rami sunt obturati. In peripneumonia itaque minor quantitas sanguinis in aorta ejusque ramis hærebit, quam in statu naturali; unde minus quoque compressioni digitorum resistent, & tactui molliores apparebunt.

internæ datur signum commune, & cuiuslibet partis internæ inflammatio ex signis cuiuslibet propriis est cognoscenda. Noster autem affectus, de quo, quantum mihi saltem constat, nullus authorum particularem mentionem fecit, prouti quidam Clarissimi & doctrina & arte Argentorantensium Medici mihi retulerunt, his fere signis sese prodit. Per unum alterumve diem leni colica laborat æger alvumque constipatam habet, & enematum emollientium usu aliquod levamen acquirit, postea in regione umbilicali fixum dolorem punctorium & ardentem sentit ad spinam dorsifese extendentem. Dolent lumbi, abdomen tumet, pulsus fit celer & frequens. Crescente dein morbo, etiam dolores & circa umbilicum & lumbos augentur, qui atrocissimi fiunt, & ut ipse æger conqueritur, quasi sicam ibi hærentem haberet. Pulsus fit durus, valde intenditur abdomen, & gravissima in infimo ventre sentiuntur tormina. Accedunt anxietates & inquietudines,

C

tudines, subinde etiam vomitus, sitis, siccitas faucium, oris atque linguæ, & reliqua febres inflammatorias ut plurimum comitantia symptomata.

## §. IV.

Et variæ disquiri debent causæ; habemus enim duplicem morbum, inflammationem nempe mesenterii, & ex hac generatam febrem. In disquisitione itaque causarum explorandæ primo sunt istæ inflammationis mesenterii; secundo ostendum est, quomodo ex hac febris accendatur, i. e. quomodo inflammatio causam febris constituat. Quod ad primum attinet, eandem, quam reliquæ veræ inflammationes causam immediatam habet, loco tantum ab aliis diversam, stagnationem scilicet sanguinis in arteriis minimis sanguiferis, maxime tamen serosis atque lymphaticis, liberum sanguinis motum in fistulis minimis mesenterium & intestina ambientibus

entibus impediētem. Ansam autem huic  
obstructioni præcipue præbent, testante  
HOFFM. in *Medic. Ration. System. T. IV.*  
*P. I. S. II. Cap. XII. §. VI.* Plethora vel  
simplex, vel cacochymica a suppressis aut  
deficientibus salutaribus excretionibus ob-  
orta (*n*), fortiora ad lochia, menses, hæ-  
morrhoides provocandas ingesta, validio-  
rum purgantium usus ad contumacem al-  
vi strictionem superandam, purgantia &

C 2 eme-

(*n*) In plethora vera tota massa sanguinea & om-  
nes humores ab ea dependentes majori quantita-  
te adsunt, quam pro capacitate vasorum esse debent.  
Arteriæ ergo sanguinæ præter naturam sunt dilata-  
tæ; ex hac dilatatione aucta adaugentur quoque ar-  
teriarum serosarum & lymphaticarum ostiola, qua  
in his ultimis resistentia imminuitur, & sic globulis  
sanguinis rubicundis porta ad intrandum paratur.  
Secundo in plethora vires naturæ ad humores de-  
center agitandos deficiunt, lentior fit sanguinis mo-  
tus, & spissior evadit, & sic ex duplici fundamen-  
to, aucta scilicet mole movenda & imminuta si-  
mul virtute motrice, obstructioni futuræ ansa sup-  
peditatur. Et eandem fere rationem habet, si con-  
suetæ salutare excretionis sanguinis, vel plane sunt  
suppressæ, vel iusto minore quantitate contingunt,

(*o*) Pur-

emetica acria ad abortum provocandum (o), vehementior animi corporisque motus (p), improvida abdominis & corporis refrigeratio, calido præcipue corpore existente, potus frigidus, glaciatus (q), ira  
 vehe-

---

(o) Purgantibus & emeticis fortioribus corpori ingestis irritantur vehementer vasa, & hac irritatione vehementiore majori gradu in sanguinem in vasis contentum agitur. Sanguis itaque in fluidum magis pressum, quam in statu naturali mutatur, quod tendit quidem quaquaversus, secundum eum locum autem movetur, ubi minor est resistentia. Insuper acribus fortioribus tonus partium debilitatur. Minor ergo, tam in locis istis, ubi hærent acria, quam partibus vicinis, fit resistentia. Unde sanguis majori quantitate versus eum locum movetur, quo & arteriæ sanguineæ & minorum ex his originem ducentium orificia magis distenduntur.

(p) Vehementiore animi corporisque motu majori gradu in sanguinem agitur, & hic vehementius reagit. His, & cohæsiō globulorum inter se minor evadit, & calor increfcit. Ex utroque autem principio aëris in sanguine inclusi elater augetur, hinc massa sanguinea magis fit elastica & majus spatium occupat, itaque etiam diameter arteriarum sanguinearum & ex his orientium ostiolorum minorum major evadit.

(q) Frigidis vasa constringuntur, & istorum diameter diminuitur. Sanguis itaque reliquique humores alias  
 ad

vehemens vel gravis terror in febribus ardentibus, item biliosis, dysentericis, nec non puerperarum acutis cum purpura.

§. V.

Quomodo autem ex inflammatione febris? In febre est fortior humorum attritus in toto corpore, inflammatio autem, si causam febris constituere debet, vehementiorem affricum sanguini præcipue reliquisque humoribus procurare debet. Videamus itaque, an in inflammatione ea deprehendamus, quæ motum humorum

C 3 pro-

---

ad superficiem externam coacti, cum in ista superficie vis aucta fuit, versus interiora determinantur, quo iterum præternaturalis arteriarum dilatatio fit, & ex hac transitus in lymphaticas & serosas promovetur. Eadem fere ratio est potus frigidi glaciati corpori ingesti, qui, non solum præter naturam vasa constringendo, sanguinem in arterias lymphaticas & serosas cogit, sed etiam inspissando humores, dum partes igneæ ex istis in corpus frigidum transeunt, & quidem eo majori quantitate, quo potus iste magis est frigidus, istos ad obstructionem generandam aptiores reddit.

progressivum celeriozem vehementiozem-  
que reddere valent. In omni inflammatio-  
ne vasa tument, pars affecta dolet, adest  
obstructio vasorum minimorum, hæret  
fluidum crassius, partibus suis subtiliori-  
bus privatum, fluidum scilicet, in quo fa-  
lia magis sunt activa, major est particula-  
rum ignearum copia, lymphæ in loco ob-  
structo redditur acris. His omnibus non  
solum fortior fit humorum attritus, sed et-  
iam gravitas eorum specifica crescit (r).

§. VI.

(r) Est canalium communicantium compago, per  
quam varia celeritate, in statu etiam corporis sanissi-  
mo, fluidum vehitur. Aucto motu fluidi progressivo  
augetur etiam partium attritus, partim inter se,  
partim cum parietibus vasorum, in quibus liquidum  
continetur. Crescente vero attritu major copia igne-  
arum partium a contactu liberatur; unde causa ca-  
loris immediata adaugetur. Quodcunque igitur mo-  
tum sanguinis celeriozem reddere valet, istud calo-  
rem præternaturalem in toto corpore producere  
potest, reliquis conditionibus positis iisdem. Sed  
uno, vel pluribus canalium communicantium ob-  
structis, celerius ruit per reliquos canales fluidum,  
& quidem tanto celerior est motus progressivus per  
reliquos canales, quo plures sunt obstructi, per leges  
hydraul.



§. VI.

Periculosa semper est hæc febris, le-  
vior, si exteriorem tantum tunicam in-  
flam-

---

hydraul. Atqui in quavis inflammatione vasorum communicantium obstructio adest. Oportet itaque, ut ex hoc fundamento fortior humorum attritus, præcipue sanguinis, fiat, id est, febris excitetur. Hoc tamen observandum est, non omne motus sanguinis progressivi incrementum febrem excitare posse, & si ex hoc principio, obstructione scilicet vasorum, tantum celeritatis motus augmentum accedere debet, ut exinde febris generari possit, plures canales debent esse obturati. Præterea admodum flexilia sunt vasa, quæ facile dilatantur, & his rursus dilatatis, retardatur etiam motus sanguinis progressivus, minorque fit particularum attritus; unde mitior calor. Majoris vero momenti est irritatio articularum in parte laborante, qua subinde reliquæ arteriæ cum obstructis communicantes irritantur. Irritata arteria majori & gradu & celeritate se contrahit. Hac contractione majori sanguis in istis contentus fit magis pressus, fortius ergo & citius reagit; his motus sanguinis progressivus, & ex hoc intestinus, vehementior impetratur. Plures ergo particulæ caloricæ in motum cientur, & salia fiunt magis activa; his autem novum motui progressivo incrementum additur. Sic causa caloris immediata crescit, augetur & alia, dum salinæ liberatæ & terrestres partes tanta quantitate ac in statu sano e corpore

Inflammatio occupat, gravior autem, si interiorum intestinorum substantiam pervadit, ipsasque earum & mesenterii glandulas tangit. Communes omnium inflammationum fines habet; sanguis stagnans enim vel resolvitur, vel orta suppuratione in pus vertitur, vel gangræna, vel scirrho terminatur, & facilis est gangrænae in sphacelum, & scirrho in cancerum transitus (s).  
Sola

---

pore secedere nequeunt. Majorem ergo sanguis gravitatem specificam acquirit; unde & aptior ad ignem per longius tempus conservandum redditur.

(s) Materia stagnans vel resolvitur, vel pars obstructa manet. Si resolvitur, aut ad resolutionem sana corporis fluida concurrunt, aut resolutio unice, aut saltem primario ex infitis suis principiis absolvitur. Si posterior hic casus contingit, finis inflammationis gangræna vocatur, quam mors partis laborantis seu sphacelus sequitur. Si vero resolutio contingit etiam sanarum partium concursu, aut vasa obstructa integra manent, aut materia stagnans una cum vasculis obstructis in materiam quandam viscidam, cui puris nomen est, mutatur. In priori casu discutiendo, in posteriori vero suppurando terminari dicitur inflammatio. Quodsi denique stasis maneat, calor vero ideo cesset, quia sulphurearum parti-



valde etiam tenuata febris in lentam & hecticam degenerat, si ultima ægro infirmitas est, nulla requies, sed vigiliam, delirium vel sopor noctu atque interdium continuans, spirandi difficultas, singultus, æstus & sudor non per totum corpus æqualis, vel frigidus, aspectus defœdatus, livor & frigus extremorum, pulsus summe debilis, atque intermittens, urina cruda, fulva & tenuis, alvus liquida, illaque nigra, & cui magna odoris foetiditas accedit, nervorum distentio, quæ ultima, si incidunt, mortis futuræ indicia sunt. vid. PLATN. *Instit. Chir. Rat. Cap. de Inflammatione*. §. 49. 50. 51.

§. VII.

Exploratis hæctenus affectus nostri signis, cognitis causis ejus primariis & visis etiam eis, quæ vel spem, vel periculum facere possunt, curandus jam venit ægrotus, duplici præcipue morbo laborans,  
febre

febre nimirum & inflammatione, quæ  
 istius causam efficit. Removenda ergo  
 est inflammatio, & hac remota, febris ces-  
 sabit. Tolle itaque debet præternaturalis  
 particularum ignearum in intestinis tenu-  
 ibus & mesenterio collectio, i. e. agen-  
 dum est medico, ut quantitas particula-  
 rum caloris in motu constitutarum immi-  
 nuatur, & istam copiam adæquet, quæ  
 ibi in statu naturali deprehenditur. Sed  
 plures colliguntur, quia transitus abeun-  
 tium minor est copia earum, quæ de no-  
 vo liberantur. Imminutus vero transitus  
 a causâ aucta liberante, attritu scilicet for-  
 tiore globulorum, partim inter se, par-  
 tim cum parietibus vasorum, in quibus  
 subsistunt, & aucta simul fluidi hærentis  
 gravitate specifica dependet. Utrumque  
 ab obstructione ortum habet. Referenda  
 ergo est stasis, i. e. sanguini in arteriis mi-  
 nimis sanguiferis, serosis & lymphaticis  
 quiescenti conciliandus est motus. Unde  
 causæ hujus quietis sunt considerandæ.

D 2

Qui-

Quiescit autem sanguis in arteriis sanguiferis, vel ob resistantiam auctam, vel ob virtutem motricem imminutam, vel ob utrumque simul. In arteriis vero sanguivehis minoribus hæret ob vim virtute motiva resistantem majorem, sed transit in istas ob resistantiam in istis arteriis imminutam; unde, ut in arteriis sanguiferis quiescens sanguis moveatur, vel resistantia est imminuenda, vel robor motivum est augendum, vel utrumque est agendum. Non est consultum vim moventem augere, quia inde non solum præsens obstructio cresceret, sed etiam transitui sanguinis in arterias serosas & lymphaticas nova subministraretur occasio; unde sola resistantia est imminuenda. Ast ut sanguis in arteriis lymphaticis & serosis subsistens in sanguiferas retrogrediatur, necesse est, ut vel minus fiat robor in arteriis sanguinem vehementibus, vel augeatur virtus lymphaticarum & serosarum contractilis, vel utrumque una fiat. Vis contrahens  
vasa

vasa in nostro affectu per medicamenta externe adhibita non facile multum adaugeri potest, crescit tamen relative, resistentiam in vasis sanguiferis imminuendo. Multa adhuc de obstructione & variis ejus causis dicenda essent, & etiam hic differerem, ni consuetos dissertationis limites nimium transiisse viderer. Itaque patet mendendi methodum sequentibus indicationibus absolvi posse.

*Primo*, strictura vasorum est removenda.

*Secundo*, Sanguis spissus est resolvendus & ad alia loca derivandus.

*Tertio*, Reliquiæ impuræ sunt eliminandæ & pars debilitata, superato morbo, rursus est roboranda.

§. VIII.

Prima indicatio, qua simul secunda ex parte satisfacimus, adimpletur Imo. Venæsectione larga in principio statim morbi in brachio celebrata, eaque aliquoties in locis convenientibus repetenda, si febris impetus & strictura vasorum eandem indicaverint. Semper tamen, & virium ægrotantis, & evacuationum sanguinis suppressarum, hæmorrhoidum scilicet, menstruorum, lochiorum, habenda est ratio, ne, perverso loco vena secta, causa mali magis adhuc adaugeatur, vel solidorum robur ad causam morbificam destruendam maximo opere necessarium præter necessitatem debilitetur. Exploranda itaque medico sunt, antequam venæsectionem suadet, temperamentum, ætas, vires, evacuationum sanguinearum consuetudo, & his bene examinatis demum formanda est indicatio. Quidquid tamen sit, si venæsectio ob eva-  
cua-



cuationes sanguinis, vel justo minori  
 quantitate contingentes vel plane suppres-  
 sas, celebrari debet, semper primam illam  
 in brachio celebrandam esse censeo, &  
 postmodum huic aliam in pede esse sub-  
 jungendam; prima enim vena, si in pede  
 secatur, sanguis, majori jam quantitate  
 in inferioribus collectus, majori adhuc  
 copia versus istas partes ruit, quo nimium  
 arteriis ad sanguinem propellendum ro-  
 bur detrahitur (†).

¶¶.

---

(†) Varii salutare sunt effectus, qui a venæsectione,  
 decenti tempore & loco, celebrata expectari pos-  
 sunt. Primo: Si plethora vera adest, i. e. si tota  
 massa sanguinea & omnes humores ab ea dependen-  
 tes majori quantitate adsunt, quam pro capacitate  
 vasorum esse debent, præter naturam dilatantur va-  
 sa, magis irritantur, & hanc majorem irritationem  
 vehementior contractio sequitur. Vena itaque si se-  
 catur, minor fit sanguinis copia, cessat causa irri-  
 tans; unde etiam contractio cessare debet. Secun-  
 do: Quantitate sanguinis minori contingente vires  
 corporis, antea ad sanguinem decenter agitandum  
 deficientes, crescunt relative; unde, viribus naturæ  
 aqua-

II<sup>do</sup>. Clysteribus emollientibus simpli-  
 cioribus ex decocto furfurum, florum ver-  
 bafci, liliorum alborum, melitoti, cha-  
 momillæ & fimilium paratis & aliquot co-  
 chleari-

---

æqualibus, minor massa melius agitari & globuli  
 majori gradu cohærentes, in minus cohærentes mu-  
 tari possunt. Cessat itaque causa minima vasa san-  
 guinea obstruens, & præter naturam dilatans. Hinc  
 faciliori motu sanguis per vasa sua minima ruere  
 potest. Tertio: Si etiam nulla plethora adest, san-  
 guis autem vehementiori motu pellitur, detractio-  
 ne sanguinis minor fit impetus in vasa; impetus  
 enim in corporibus in motu constitutis invenitur,  
 si massa in quadratum celeritatis ducitur. Si ergo  
 eadem manet celeritas, massa autem minor evadit,  
 etiam factum ex massa in quadratum celeritatis mi-  
 nus redditur. Hinc minor impetus sanguinis in va-  
 sa, minor reactio vasorum in sanguinem in istis  
 contentum, minor globulorum attritus. Quarto:  
 Si minor fit sanguinis massa, & majora & minora  
 vasa sanguiveha, minori gradu dilatantur; unde, &  
 serosarum, & lymphaticarum fistularum ostiola mi-  
 nora evadunt. Augetur itaque in his posterioribus  
 virtus resistens. Unde etiam ulterior sanguini in istos  
 canales transitus denegatur. Quinto: Si vena in bra-  
 chio fecatur, minor evadit in loco secæo resistencia.  
 Majori ergo quantitate versus istam partem, minus  
 resistantem, cogitur sanguis. Sed istius impetus in  
 loco affecto decrefcit.

chlearibus olei olivarum vel alius convenientis instructis. Enemata etiam parari possunt ex lacte solo, cum nitro mixto, vel aqua pluviali, cum syrup. viol. dialthææ F. rosar. solut. aut mell. mercuriali. Injici debent quovis fere bihorio, si necessitas urgeat, & paulo diutius retineri testante Hoffmanno l. c. (u). Dum vero hæc aguntur

E

III<sup>o</sup>. Pars

---

(u) Molle dicitur corpus, quod tactui facile cedit, i. e. ad cujus figuram, per vim adhibitam mutandam, vis, vi digitorum hominis major, non requiritur. Causa mollitiei est iste cohæſionis gradus partium alicujus corporis, qui per vim digitorum facile superari potest. Emollire ergo solidum est cohæſionem partium eo usque imminuere, ut digitorum vi facile vinci queat. Omnes itaque corporis humani partes emollitæ minorem inter se cohæſionem, quam antea, habent. Patet exinde quod clysterum emollientium applicatione strictura intestinorum crassorum relaxari debeat, hac autem remota etiam ista in intestinis tenuibus, mesenterio aliisque locis contingens cessabit, simulque ex hac secuti effectus. Experientia enim docemur, quod, quando una corporis nostri pars sese contrahit, aliæ quo-

III<sup>tio</sup>. Pars externa, abdomen scilicet, fovenda est, cataplasmatibus emollientibus & discutientibus, vel linimentis apropiatis ex ungt. dialth. sperm. cet. rec. ol. lini & spiritu vini camph. compositis. HOFFMANNUS *l. c.* suadet exterius abdominis regioni applicata epithemata, sacculos, vellicas oleis expressis, vel pinguedinibus animantium, aut decoctis emollientibus repletas, pinguedinem cati sylvestris, præsertim cum camphora & pauxillo olei hyoscyami mixtam.

§. IX.

quoque simul contrahantur, in quibus causa peculiaris contractionem efficiens non hæret, & quod, una parte relaxata, relaxetur simul altera, quæ una cum priore contrahebatur; unde BAGLIVIVS in *Præc. Med. L. 1. Cap. de Variolis & Morbillis*, refert: „Si sanguis „ad caput impetum faciat, tensionesque in hypochondriis adsint; plantis manuum atque pedum „spongias decoctis emollientibus tepidis turgidulas „apponi jubeo, magno cum symptomatum levamine.

§. IX.

Secundus scopus obtinetur, quo etiam primo consulitur, absorbentibus, demulcentibus, antiphlogisticis, nitrosis nempe, camphoratis, opiatis, sulphuratis antimoniatibus tenerioribus sub varia, mixturarum, emulsionum, eclegmatum, pulverum &c. forma exhibitis. Vehiculi autem scopo semper adjungi debent infusa theaformia ex herbis capill. veneris, scolopendr. veron. flor. primul. veris, bellid. verbasco. parata, vel ptisanæ ex renetiis & borstorffianis pomis, vel radice gram. fragar. polygod. ghycyrrhiz. ras. C. C. & sem. fœniculi compositæ. Hæc remedia per totum morbi decursum in usum trahi debent, ita tamen ut in principio morbi, & quamdiu gravia symptomata urgent, unum istorum quovis bihorio justa dosi propinetur. Ferocia febris autem paululum mitigata etiam pariori dosi exhibenda sunt. Hoc

E 2 tamen

tamen observandum est curanti, ne, nimis febrem temperando, varios alios affectus, abscessus nimirum, ulcera, scirrhus præcipue in his partibus copiosis glandulis instructis excitet, quibus tandem ægrotans lenta febre consumitur; certus enim semper febris modus esse debet; quare illud curandum est medentibus, ut talis sit, quæ inflammationem haud pejorem faciat; nec minus videndum, ne illa prorsus desinat (x). Spasmodorum vero dolorumque cum febris ferocia quiescente, quia semper de summa

viri-

---

(x) Multos usus ad morbum nostrum feliciter superandum hæc remedia præstant. Salia sunt minus activa, dum partim minus concentrata evadunt, partim in sal medium mutantur, & quantitas eorum quoque imminuitur, quia secretiones & excretiones, in primis urinæ & materiæ transpirabilis, multum promoventur. Præterea funditur quasi massa sanguinea, i. e. minorem visciditatem acquirit. His autem globulorum attritus decrescit, etiam gravitas sanguinis specifica inde minor redditur. Unde non potest non, causa caloris proxima imminuta, minore etiam existente occasionali præternaturalis decrescere calor, ceu primarium affectus nostri symptoma.

virium debilitate queruntur ægroti, non  
amplius diluentibus & humectantibus est  
insistendum, sed potius

§. X.

Ad Tertiam indicationem lenissima la-  
xantia & roborantia requirentem, properan-  
dum est, quibus & reliquæ impuræ è corpo-  
re evacuantur, & deficiens resuscitatur ro-  
bur. Ad hæc referri possunt rhabarbarino-  
mannata, cassiata, essentia aut spiritus suc-  
cini, aut mastiches, extracta cum hoc es-  
sentia cascarillæ, elixirium stomachicum  
Hoffm. balsamus vitæ ejusdem cum liquo-  
re anodyno mixtus, qui ultimus etiam ex-  
ternæ regioni applicatus insigne levamen  
affert; observante Hoffm. l. cit. (y). Hæc

E 3 om.

---

(y) Inflammatione cum febre præfligata eo medentis  
cura est dirigenda, ne, vel alius, vel idem mor-  
bus, funesto ut plurimum ægrotantis eventu, rege-  
neretur,

omnia autem minus profunt, ni exactif-  
simum vitæ regimen observat æger; hinc

§. XI.

Diæta sic instituenda est, ut omnia ea  
evitentur, quæ morbum graviolem red-  
dere possunt. Hinc ægrotus per totam  
morbi periodum in aere fervetur puro, tem-  
perato. Nutriatur jusculis tenuibus in prin-  
cipio morbi, post statum vero fortioribus.

Potus

---

neretur, quod facile ob impuritates relictas & to-  
num partium summe debilitatum contingere possit;  
impuritates enim sunt corpora machinæ humanæ  
inimica, & viribus deficientibus obstructioni in mi-  
nimis vasis; hinc etiam inflammationi commoda  
datur occasio. Eliminandæ ergo sunt reliquæ impu-  
ræ & viribus deficientibus novum procurandum est  
robur. Sed, cautus in remediis propinandis sit ratio-  
nalis naturæ minister, necesse est. Lenissima debent esse  
laxantia, etiam ea, quibus viribus amissis consulitur,  
non fortiora esse debent; alias enim deficiens tonus  
magis adhuc imminuitur, & affluxus humorum ver-  
sus partem affectam, summa cura avertendus, majori  
modo ad istum locum determinatur.



Potus sit ptisana simplicior ex aliquot pomis borstorfensibus cum mensura una aquæ fontanæ puræ decoctis, vel decocta supra nominata. Alvus servetur libera clysteribus emollientibus & demulcentibus, ut iisdem, & strictura vasorum tollatur, & materia acris in intestinis hærens demulceatur.

F I N I S.



100 ( 2 ) 100  
Tous in prius in plicior ex aliquid po-  
nis de fonsibus cum mensuris sua-  
bus fontana pure decetis, vel decetis  
suis nominata. Aliis servetur liberis  
fontibus emolumentis & demerentibus  
ut liberis, & fonsibus valorum tollantur  
& manent sicut in interdictis harenis de-  
mencantur.

F I N I S



25-  
2





Strasbourg, Med. Diss., S. Gumb-  
genitz

X 241 8801





12  
**FEBREM  
INFLAMMATORIAM  
MESENTERIO-  
INTESTINALEM**

SUB AUSPICIIS DIVINIS  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
CONSENSU

**PRO LICENTIA**  
*SUMMOS IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
LEGITIME CONSEQUENDI*

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT  
**JOSEPHUS ALBANUS GLYCKHERR**  
BADO-BADENSIS EX LIECHTENTHAL  
*AD D. 25. MAJI A. MDCCLVII.*

H. L. Q. C.

---

**ARGENTORATI**  
TYPIS JOHANNIS HENRICI HEITZII UNIV. TYP.

